



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Argumentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11642

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

LERRITA Lantgraviij opera ad Lutherum cum Zuinglio concordandum. Caesaris Bononia inauguratio: & quæ cum Pontifice transegerit. Conuentus Augustæ celebratus; & Augustana Confessionis origo. Congressus iussu Caesaris habiti, quò Lutherus cum Catholicis conveniret. Proxima huiusce rei spes, sed fructu vacua. Nova Caesaris in hereticos Edicta. Consilia cum Pontifice habita à Cesare, Germaniâ stimulante, de conuocando Concilio; & rerum capita, super eo ad Carolum delata à Gambarà Nuntio Pontificio. Protestantium tentamenta, ut Gallia & Angliæ Reges ad se pertraherent. Alexander Nuntius missus ad Conuentum Spira indictum, atque inde ad Casarem; eiusque res gesta. Insignis victoria ab Heluetiorum Catholicis de hereticis reportata, & Zuinglij cædes in prælio. Conuentus Ratisbonæ coactus, præsertim propter bellum in Turcas, & quò Ferdinandus Romanorum Rex agnosceretur. Obstacula quæ in Protestantibus Caesar offendit. Religionis induciæ ab eo confectæ Norimbergæ vsque ad nouum Concilium, renuente Conuentu. Consilium ibi susceptum, dandi operam apud Pontificem, ut intra sexquiannum cogeretur. Subsidia à Pontifice collata Casari contra Turcas, & Legatio ad id

Ec 2 Hippo-

Hippolyti Cardinalis Medicei. Solimanni à Pannonia recessu. Regum Gallie Angliæque conatus, ut à Cesare Pontificem abdicarent. Diffidentia inter Cesarem & Pontificem, exorta in altero eorum congressu Bononiæ. Decretum ab iis, uti Concilium tunc indiceretur: eiusque Decreti executio. Ad eam rem mittitur Rangonus ad Germaniæ Principes Nuntius, cui comes additus Cesaris Legatus; & reddita à Protestantibus responsa. Profectio Massiliam Pontificis, & colloquium ibi cum Francisco Rege. Duplex sententia, variis temporibus lata in causa duortij aduersus Angliæ Regem; & ex eo illius Regni schisma. Clementis obitus, & Pauli Tertij successio: eius studia in Concilio conuocando, & ob eam causam Vergerij missio in Germaniam. Colloquia Nuntij cum Principibus Catholicis ac hereticis, & cum Luthero. Cesaris post Tunetanam Victoriam aduentus Romam. Solemnis eius oratio coram Pontifice, Curiaque vniuersa, in Gallie Regem; & Gallorum Oratorum responsa. In medio firmus Pontificis animus. Indictum Concilium Mantuæ. Anna Bolena capite plexa.

CAPVT PRIMVM.

Lutheri ac Zuinglij congressus, eorumque discordia.

1529.

PHILIPPVS Lantgrauius, quæ præstandi gratia quod in se susceperat in Conuentu, quæ corroborandi concordia vires nouam religionem molientium contra Catholicos, impensè studuit inter Lutherum & Zuinglium controuersias componere. Ad eam rem congressum vtriusque Marspurgi habendum curauit, qui mense Octobri anno 1529. initus est.

Spondanus
an. 1529.
num. 11.

Adfuere hinc Lutherus cum Melanchthone, Iona, Osiando, Brentio; hinc Zuinglius cum Oecolampadio, Bucero, & Hedone. Colloquium per dies plures productum. Et quamquam Zuinglius huius coniunctionis audius, minusque quàm alter obfirmatus, adduci sineret ut in plurimis articulis vel idem quod Lutherus ferret, vel idem quod Lutherus loqueretur, ne vnum quidem ab æmuli superbia potuit impetrare. Potissima dissensio perstitit de Christi